

Fratres et sorores "ad succurrendum".

In necrologiis Ordinum antiquorum, Ordinis nostri Necrologiis non exceptis, saepe sermo fit de « fratribus », seu de « sororibus ad succurrendum ». Historiographi aggregationem talem Ordinibus tractare non omiserunt. Quamvis fatendum sit, examen omni ex parte adaequatum instituti illius hucusque deficere.

Ph. SCHMITZ, *Histoire de l'Ordre de Saint-Benoît*, t. 6, Maredsous, 1949, p. 203-204, haec de instituto dicto scribit : « A la confraternité, union spirituelle, accordée par les monastères, se rattache étroitement une autre dévotion : nos pères aimaient à pouvoir mourir sous le froc, l'habit monastique... gage de salut. De plus, celui qui l'avait reçu participait aux suffrages et œuvres pies des religieux au même titre qu'un membre de la communauté : on y voyait une garantie de prompte délivrance de purgatoire. Cette dévotion remonte déjà au IX^e siècle. — Cette pratique se répandit dès la fin du XI^e siècle et au XII^e, et plus encore au XIII^e, grâce surtout aux franciscains qui la popularisaient. Elle disparut peu à peu après la Réforme. Le laïque ou séculier revêtu de la coule à l'heure de la mort s'appelle *frater-soror ad succurrendum*... Pas de simple formalité... Vraie profession... et le frère en question émettait les vœux de religion. Revenu à la santé, il n'aurait pu rentrer dans le monde sous peine d'apostasie... On exigeait le consentement du chapitre de l'abbaye ; le frère en danger de mort devait être en pleine possession de ses facultés... Son épouse devait donner l'autorisation... ».

H. LAMY, ex sua parte in *L'abbaye de Tongerlo depuis sa fondation jusqu'en 1263*, Louvain, 1914, pp. 89-91, haec scribit : « Les frères *ad succurrendum* sont très nombreux. L'on sait ce que signifie cette expression. On entend par là les gens du monde qui, dans une maladie dangereuse, reçoivent l'habit monastique *ad succurrendum*, c'est-à-dire, pour être secourus par les prières de la communauté à laquelle ils s'attachent. S'ils recouvrent la santé, ils doivent continuer à porter l'habit religieux, par suite de la promesse qu'ils ont faite pendant leur maladie. C'est ce que l'on entend, dans les autres ordres par *monachi ad succurrendum*, et comme, dans l'Ordre de Prémontré, les moines sont les convers (alludit hic LAMY ad textum *miri tenoris* qui legitur apud Fr. WINTER, *Die Prämonstratenser des zwölften Jahrhunderts und ihre Bedeutung für das nordöstliche Deutschland*, Berlin, 1865, p. 308 s., et provenit ex libro *De ordine*

canonicorum regularium : iste liber, qui non raro auctori Anselmo Havelbergensi tribuebatur, revera non potest huic auctori adscribi : vide K. FINA, in *Anal. Praem.*, XXXII, 1956, p. 84). In hoc libro haec leguntur : *Adhuc vero in nostris coenobiis hi duo ordines canonicorum scilicet et monachorum. Johannes et Petrus simul currunt, dum apud nos ex laicali conversatione homines illiterati relictis omnibus iugum Christi suscepturi convertuntur, qui ad ordinem clericatus promoveri nec possunt nec volunt, sed probabiliter in omni perfectione monastica degunt, manibus suis operantes et carnem suam cum vitiis et concupiscentiis in habitu poenitentiali crucifigentes.* Rien d'étonnant qu'ils soient désignés, dans notre Nécrologe, sous l'appellation de *conversi ad succurrendum*. Nous rencontrons même une femme qui reçoit cette appellation (au 20 mars : Maria, *conversa ad succurrendum*).

Mais, il paraît que les *fratres ad succurrendum* ne doivent pas être confondus avec les *monachi ad succurrendum*. Les premiers seraient simplement des hommes liés à l'abbaye par une *fraternité* ou société de prières, l'abbaye promettant ses suffrages à la suite d'une donation ou d'une demande de fraternité (W. VAN SPILBEECK, *De Abdij van Tongerlo*, Lier 1888, blz. 41). Ainsi s'explique que, parmi les *fratres ad succurrendum* dont notre nécrologe fait mention, il y en ait... aussi les *sorores ad succurrendum*. La distinction serait ainsi bien marquée : les convers, ou converses *ad succurrendum* sont les religieux ou religieuses, dans un sens très large, se rapprochant de la condition des donats (G. MADELAINE, *Vie de Saint Norbert*, Lille, 1886, p. 252 ; W. VAN SPILBEECK, *l. c.*, p. 42 émettent l'idée qu'on pourrait y voir des tertiaires prémontrés), et les frères et sœurs *ad succurrendum* sont ceux ou celles qui, à cause de leur générosité ou de leur amitié, ont une part spéciale aux prières de la communauté ».

Perlegenti expositiones illas statim patet institutum illud « *ad succurrendum* » nondum ex omni parte clare describi potuisse ab illis auctoribus, de cetero meritissimis. Maior lux, tum sub respectu stricte historico, tum sub respectu iuridico, desiderari posset.

Dom Cesareo M. FIGUERAS, recenter in novo periodico *Studia Monastica*, I, 1960, pp. 359-400, scite de hoc instituto scripsit sub titulo : *Acerca del Rito de la Profesion Monastica medieval « ad succurrendum »*. Plura in hoc articulo congessit auctor, quae institutum dictum varia ex parte illustrari nata sunt.

Quamvis quidem de nostro Ordine directe nihil de dicto instituto dicatur, ex hac inquisitione, nostro iudicio, institutum « ad succurrendum », etiam in Ordine nostro olim valde vulgatum, maiori quadam luce perfunditur. Accedit, iuxta textum supra relatam libri *De ordine canonicorum regularium*, in coenobiis nostris olim duos ordines extitisse « canonicorum et monachorum ». De significatione ultimi termini in hoc contextu forte quodammodo dubitari posset sed non censemus nos per totum aberrare, si illo termino significatur verificari in nonnullis membris Ordinis nostri, ea quae tunc distinctivum « monachorum » censebatur.

Ut institutum « ad succurrendum » pressius determinari possimus praesto sunt fontes historici et iuridici.

Fontes historici.

In saeculo undecimo et duodecimo incipiente, nota erat praxis profitendi vitam religiosam in articulo mortis. Praxis illa ex parte auctoritatis ecclesiasticae probabatur. Decreta pontificia talia nota sunt, provenientia, inter alia, a S. P. Alexandro II († 1073). Concilium Remense, anni 1157, statuit sepulturam ecclesiasticam esse denegandam illis qui moriuntur in duello, etiamsi, vulnerati in tali occasione, sese vitae religiosae aggregaverint; ex quo textu, patet hoc Concilium admittere validitatem professionis emissae in mortis periculo.

Eadem ratio agendi in « *Consuetudinibus* » variorum Ordinum probabatur. Ita apud Cluniacenses, Fructuarienses, Farfenses, Hirsauigienses (Hirsau); regula Ordinis Grandmont (confecta inter aa. 1139 et 1163) institutum novit, addit vero: *Quoniam spontanea voluntate, et provida animi deliberatione Christi iugum adeundum est.*

In pluribus documentis exponitur professionem emissam in illis circumstantiis « ad succurrendum » plura secumferre quam meram participationem in bonis spiritualibus monasterii. Ita, inter alia, notatur, tales vitare debere *ut amet terrena tota mente, et perdat coelestia dum mors illum invenerit manentem in seculi amore.*

S. Petrus Damianus († 1072), affirmat, illos qui in tali occasione mortis periculi professionem emisissent, valide Ordini esse aggregatos; satis longam expositionem de hac re ita concludit: *Concludatur ergo necesse est, ut omnes qui monachicae professionis habitum susceperunt, exceptis his, qui absque uxoria permissione et promissione conversi sunt, quocumque alio modo ad hoc propositum venerint, in eo, quem coeperunt, ordine compellendi sunt omnimodis permanere.*

Requisita canonica.

Consuetudines de Hirsau clare edicunt : *sancti ordinis susceptio secundum consuetudinem et secundum regulam Benedicti ante annum integrum nulli nisi pro infirmitate concedenda est*. Gravis infirmitas, periculum mortis ducebatur ut requisitum pro professione « ad succurrendum ». In perplurimis Cartulariis haec conditio expresse additur, ubi de tali professione facta sermo fit.

Habitus religiosus vel professio peti debet. Professione tali concessa, saepius bona plurima a profitente coenobio cui iungitur, dantur. Hoc iterum in permultis cartulariis saepe animadvertitur.

Professio illa — et dona hac occasione concessa — non raro solemnitate adiuncta perficitur ; saepius additur in cartulariis : *super altare dominicum posuit*, aut aliquid simile. Ex epistolis Alexandri II deducitur consecutionem « normalem » talis professionis esse, renuntiationem omnibus titulis et beneficiis ecclesiasticis.

Tandem, documenta antiqua plura referunt de consensu praerequisito uxoris pro professione tali emittenda, et de ratione qua talis consensus peti aut praesumi posset aut deberet.

Ritus professionis « ad succurrendum ».

Duplex ritus pro tali professione refertur in textibus antiquis : ritus completus et ritus simplicior.

Ubi agitur de ritu completo, professio admitti debet ab abbate : casus referuntur in quibus edicuntur haec : *quia non meo iussu, me ignorante atque invito est cucullatus, nullo a me monastico iugo videtur artandus*. Refertur etiam series interrogationum, in quibus profitendus voluntatem suam explicitis verbis exprimere debet : *Vis esse obediens huic ecclesiae et abbati et praepositis illius ? R. Volo et cupio. — At ille : Et nos in nomine domini sacrum habitum quem petis hac pactione tibi damus*. Consuetudines Cluniacenses et Fructuarienses explicite notant : candidatos « ad succurrendum » *petitionem suam faciant*.

Tonsura monachalis candidato datur. Ita, inter alios, scribit ORDORICUS VITALIS in sua *Historia ecclesiastica* (MIGNE, PL, 188, col. 443) : *Concessione itaque facta, tiro Christi mox tonsuratur, neophytus sacris vestibus induitur*.

Profitendus verbo orali aut scripto obedientiam promittere debet. Consuetudines de Hirsau dicunt : *Verbo tantum prout potest faciat professionem*.

Promissione illa peracta, sequuntur variae orationes, habitusque religiosus imponitur ; datur osculum pacis, ac, deinde, poeni-

tentia quadam peracta. fit coereemonia « *aperitionis oris* ». Hac coereemonia capax redditur noviter professus « ad succurrendum » ad participandum vitae monasterii cui se aggregavit.

Datur etiam ritus simplicior professionis « ad succurrendum ». Ita legimus in Consuetudinibus de Hirsau (saec. XI) : *Si quando saecularis aliquis ad extrema perveniens monastici habitus consecratione se iuvare petierit... monachico habitu induitur et consecratur, sicut et quilibet novitius in claustrum receptus*. Minister professionis in ritu hoc simplici non indicatur, supponitur vero petitio formalis ex parte profitendi, quae — casus tales referuntur — « consilio astantium » effici poterit, cui profitendus consentit. Tonsura, promissio ac orationes consuetae in tali ritu omittuntur ; habitus vero imponitur. Et in casu quo tali modo simpliciiori professus postea sanitatem recuperaverit, coereemoniae completae suppleri debent.

Status canonicus professi « ad succurrendum ».

Particeps fit bonorum spiritualium communitatis cui se aggregavit. Ex altera parte non ipsi obveniunt omnia et singula iura quae ex professione ordinaria professo obtingunt. In pluribus congregationibus enim supponitur professum « ad succurrendum » posse postea plenius aggregari communitati. Inter iura quae professo « ad succurrendum » conceduntur, recensetur ius sepulturae in coemeterio communitatis. Aliae « Consuetudines » dicunt talem professum, qui professionem suam in domo sua vel extra monasterium vovit, postea, dum possibile erit, ad monasterium venire debere.

Dicendum videtur statum canonicum professionis talis « ad succurrendum » non constare, neque uniformem describi in documentis, quae de hoc instituto agunt. In genere enim, professio non censebatur valida, nisi emissa post expletum annum novitiatus. Ex altera parte, validitas talis professionis emissae in casu gravis infirmitatis aut periculi mortis facile, multo ex capite, sanitate recuperata, impetiebatur, vel ex defectu consensus vel libertatis, vel ex defectu ritus, et multis aliis. Constat de cetero superiores monasteriorum defectum fidelitatis ex parte tali modo professorum « ad succurrendum » non considerasse uti veram apostasiam. Quamvis non reticeantur laudes in honorem ipsorum talium professorum, qui, sanitate recuperata, professioni emissae fideles remanebant. ORDERICUS VITALIS in sua *Historia ecclesiastica*, plura talia refert. Ita sermo fit de Geroldo, capellano comitis Hugonis de Avranches, qui habitum monasticum in mortis periculo recepit. Postea primus abbas fit in Tewkesbury : *Novum monasterium regularis ordinis sanctionibus*

instituit novitiorum copiam monachili normae mancipavit, neophytisque optimos ritus rigidae conversationis tradidit. Tandem, vocante Deo in lectum decubuit, et, completis omnibus quae servo Dei rite competunt, reverenter obiit.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

**“ Exegesis ” Cantici Canticorum
apud scriptores Praemonstratenses saeculi XII finientis.**

Intentum nostrum in hac praesenti nota non est neque exigentias sanae exegeseos, iuxta antiquas et recentes instructiones S. Pontificis, exponere, neque historice proponere quomodo auctores et scriptores diversi generis saeculi duodecimi ac decimi tertii sub hoc respectu sese gesserint. Relate ad hunc ultimum respectum optima plura collegit. L. LECLERCQ, O. S. B., in suo libro : *L'amour des des lettres et le désir de Dieu*, Parisiis, 1947. Praemonstratenses veteres directe non considerantur in hoc libro. Pluries vero citantur textus scriptorum nostrorum in libro, documentis et citationibus fere immensis ditato, P. DE LUBAC, *Exégèse médiévale. Les quatre sens de l'Écriture*, I, 2 t. (Théologie, nr. 41), Paris, Aubier, 1959. Auctores Praemonstratenses, quorum opera edita fuerunt in Patr. Latina Migne, uti Adamus Scotus, Lucas a Monte S. Cornelii, Zacharias Chrysopolitanus, Anselmus Havelbergensis, Philippus de Harvengt, pluries citati deprehenduntur. Apparet ipsos omnino fuisse auctores spectabiles, tum ratione doctrinae expositae, tum ratione eorum dicendi comparata cum auctoribus suae aetatis ; quorum expositiones verum valorem obiectivum servant ad nostra usque tempora.

Ad aliud potius thema nos convertere vellemus in hac praesenti nota. Magis in specie considerare volumus ea quae ab auctoribus nostri Ordinis aetatis supra indicatae dicta fuerunt in eorum expositionibus « exegeticis » Cantici Canticorum. Constat Canticum Canticorum, eo tempore saepe constituisse textum qui inservire aptus esset considerationibus « spiritualibus » uti nostro tempore dicere solemus. Quod etiam in Ordine nostro evenit.

Recenter (anno 1958) duo prodierunt libri, qui hoc thema vel in genere vel magis in specie, exponunt. Primus, auctore Fr. OHLY, *Hohelied-Studien. Grundzüge einer Geschichte der Hoheliedauslegung des Abendlandes bis um 1200*, pp. 328. Ed. : Fr. Steiner Ver-